

ex pano specierum judico, est *Tordylii* species, quæ *Caucalis* semine aspero, flosculis nitentibus, C. B. 152, quod olim ad me misisti; involucrum in hâc specie adest. Universales, licet ad eò arcè adnexum pedunculis umbellæ ut vix conspiciantur, aderant et in hâc tuâ, ad me missâ.

*Lysimachia* sinè dubio erat illa quam ego putabam, licet numerus in hâc variet; non reperio capsulas in litteris.

*Zizyphum* nunquàm florentem vidi; gratias pro observatione. Sed quæna tua species?

In *graminibus* mea methodus est facillima, et omnes studiosi sic mox species indagare possunt, absque doctore; certè nulla alia methodus adhuc extiterit in Botanicis. Nunquàm genera graminum ab ullo determinata. Quæso, ne cures paniculam vel spicam; tamen obtinebis genus; ego hoc adjeci, facilitatis, non necessitatis causâ.

Fac ut frater tuus Parisiis in Horto depingat plantam, à te nominatam; in herbario Suriani reperitur. Ibì reperiet plantam *Hyperici* aut *Cisti* facie erectam, foliis ovalolanceolatis, alternis, serratis, pilulis acuminatis, ciliatis M. Ultima nota distinguit plantam ab aliis omnibus.

Ego non possum procurare plantam ex meridionali Americâ; sed si in boreali Americâ esset, mox præstarem hoc.